Si Tu, Clarissime et per mihi observande Vir, cum tuis bene
vales, gratulor tibi, gaudeo mihi: et faxit Deus ut hac contagio-
sissima tempestate Tu, literarum atque literatorum decus atque corona,
Nestorios vivas annos, sintque tibi dies albi, horaeque serenae. Ut dici
non potest, quantopere exultarim et epulem, atque mihi adeo gratuler
ipse, de familiaritate tecum ante septennium Heidelbergae contracta,
et abhinc biennium Ratisponae renovata, et, si dicere fas est, interpo-
lata: (Quis n. cum viro in Remp. literariam meritis praeclarissimis
celeberrimo non volens libens, atque quadantenus gratus amicitiam contra-
hat?) sic incredibile quantum doleam, Te longe optime meritum virum
de literatis atque literis a quodam Casparo Schoppio in lib. 4. Veri-
similium Noribergae ~~[illegible]~~ per Paulum Kaufman ao. 96 excusis, indignis-
simis modis, conviciis nefandis excipi, proscindi et infamari; traduci ut
Gallograeculum Nugatorem lib. 1. c. 9. fol. 40. l. 16. et lib. 2. c. 2.
in calce tota vocitari prostibulum Typographi, ubi et virgas tibi
flagrio hic minatur, lib. item 4. c. 14. et 15. Et certe tanto acrius
doleo, quanto et ipse in me, non male imo bene meritum insurgit in-
gratius et virulentius in praefatione lib. 1. et ad Conradum Rit-
tershusium, virum doctissimum illum quidem, sed simplicem et probum
qui vel salivas hujus cuculi et psittaci lambere non vereatur, nec cu-
culum a philomela dignoscere valeat. Ubi et Scholam Illustriss. Electo-
ris Palatini Ambergensem, una cum collegis nonnullis bene meritis
non plus sapere dicit occipa sue, scoptice et diabolice arrodit. Scho-
lam inquam, in qua quicquid novit boni, didicit, hausit, arripuit: Scho-
lam quae enutrivit, aluit, fovit gratis alumnum. Et fassus est ipse olim nobiscum
cum ageret, se quicquid sciret boni, a me accepisse, mihi id omne se de-
bere. Virulentiae aut et calumniae plusquam diabolicae adver-
sus collegas et praesertim me effusae, caussa gemina haec est:
prior: quod praeceptor discipulum identidem reprehendi deprehen-
dens scopticam in ipso linguam, superbiam, inobedientiam re-
fractariam. Altera: quod ad id incendii inflammatus sit a quo-
dam Johanne Ladislao, veteratore, quondam Scholae nostrae
Rectore Misnico, religionem orthodoxam ut non intelli-
gente, ita simulante, qui ut est maledicae et petulantis linguae
senex, et Rectoratus (mihi vocato legitime, destinati) repulsam passus est: ita nunc maledico
me meaque dente arrodere non cessat, non aliter, atque quidam
fatere canes solent, qui, quidem scribit Seneca ad Gall. professum
non pro rei veritate sed pro consuetudine latrant, et ita ipsa innata male-
dicendi nequitia, cum bene loqui non didicerit. Qui et ipse sibi
suo in carmine huic Verisimilib. praefixo non parcit, scribens, qui
latrans potius Erricus quasi latranti nomine, suevit

Figere dentem operis, Pieri culta, tuis.
Ut modo Lipsiaden latravit, forte viator
Praeteriens ceu vineta cucullisonus.

Musicum dixi, q[ui] purus putus Grammaticaster est, et p[ro]p[ter] eandem
titam, ut & nunc, solitus est παρελοκοσειν, rebus scitu dignis-
simis minime sese suosq[ue] pascens, praeceptorem nunc classis 2dae
in Schola nostra agens, quem tamen, ut virum Cl. hic Thraso
& praefidens adolescens vocitat in epistola ad Con. Rittershu-
sium lib. 3. pestem certe scholae & studiosorum.
Quid igitur agas cum talib[us] q[ui] omnem pudorem exuerunt? Et
Schoppius hic κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν est: filius
Vespillonis & Militis Thrasonici, extremae impudentiae, intole-
rabilis arrogantiae, maledicentissimi dentis. Cum & Altor-
phii nunc degens nebulonis & doctis quidem professorib[us] [illegible]. Ideoq[ue]
summa festinatione, quam ex praepropera hac scriptione mea facile

ut & incontinentem

et agnoscas, et eidem ignoscas pro tua insigni aequitate & humanita-
te, exaravi, te et atq[ue] et rogans, ut me saltem una literula di-
gnari, & plurima salute generum tuum clarissimum J. Casaubonum impertire velis,
quem ignotum ignotus propter summam nominis et literarum celebritatem
non possum non amare ac reverenter colere.
Et hanc quoque scriptionem extorsit fervens in te amor & observantia, &
indignitas facti atrocissimi. Calculum alias illum et veterato-
rem Jamblichum nullo prorsus modo moror. Et quis a talib[us]
laude indignissimis laudari vellet? 11 Martii ao 97.

Vale.

Studiosiss.
Wigandus
Spanhemius
Scholae
Ambergensis
Electoralis
Rector

Clarissimo Viro D. Henrico Stephano, Ty:
pographorum ac Literatorum Coryphęo atq; Coronę